



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

Capvt XVIII. De Judicio decimarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](#)

Secundum argumentum ideo non obstat, quod presupponat peccatum in cardinis solvente decimas. Quare non procedit argumentum eo casu, ubi peccatum non versatur; ut in iis, qui privilegio summi Pontificis, vel consuetudine, vel alia permissione juris à solvendis decimis imunes sunt.

Tertium, Quartum & Quintum, argumenta, supra cap. 9, discussimus, quæ idcirco hic non repetimus.

- 18 Quod vero transactione tolli vel saltem immuni posse præstatio decimatum, probat textus in c. 2, Et Veniens 6, De transact. & in c. Ex multiplici 4, De decimis Idque non tantum, ubi Clerici inter se transfigunt, sed & si cù laico facta sit transactio, d. c. 2, Et ibi Bernat. in fine glos. ibid. & Hostiensis, & facit textus in c. 2, De his qua fuit à Prælat. dummodo auctoritas Episcopi vel summi Pontificis transactioni accesserit; alioqui transactio perpetua non est, sed personalis, hoc est, personam Clericis transfigentis non excedit, dictis jurib. Nam cum in alienatione rei ecclesiasticae, qualis est & transactio, non solum 4. C. De prædictis & aliis reb. requiratur consensus & subscriptio Capituli, si Ecclesia est Cathedralis, can. Sine exceptione xii. q. 2, si inferior Ecclesia, Episcopi a secluso, can plauit ead q. 2, necesse est, & in transactione perpetua, ejus auctoritas interveniat, d. c. 2, & d. c. Venerans. Sed in Monasteriis, quæ Conventum ha-

bent, hoc amplius est, ut transactio etiam temporalis de decimis iniri non possit, nisi & confessus, saltem tacitus, ipsius Conventus accedit, c. Continebatur 2, De his qua fuit à Prælat. &c. 2, De reb. Ecclesia non alienan. in Clement. idem communiter obtinet & in aliis Prælatis, ut doa misericordia in transigendo Capituli sui consensum adhibere tenentur, c. 3, Et ibi Panor. n. 3, cod. tit. De transact. Liceat enim Prælatus à jure generali administrationem habeat in rebus Ecclesiæ, c. 2, De donat non tamen cù continetur transactio, quæ quedam alegatio est, l. Mandatogenerali D. De procurat. iuncta ad Non solum

Ubi tamen meminisse oportet, quod transactio in decimis ita demum procedat, si in vicem compensationis nulla res temporalis intervenit: veluti, si simpliciter agri certi utrumque adsignentur, d. c. 2, De transact. vel ne decimis ex quibusdam agri præstentur, c. 3, h. 1. De decimis. Nam ut pecunia, auctalia res pretio estimabiles transactionis nomine detur, jure improbatum est, c. fin. De rerum permis.

Postremus modus est exemptionis à decimis, si remittantur à Clerico, cui debetur, vel ratio ne paupertatis, vel scandali vitandi causâ, exemplo divi Pauli Actor. 10, circa finem, &c. 2, ad Corinthos, 11, ut ante meminimus hoc eod cap ex D. Thoma.

## C A P V T XVIII.

### De Judicio decimatum.

#### S U M M A R I A.

1. In decimis ab executione proceditur.
2. Cuiusque rei judicium est possessorum ac petitiorum.
3. Ut & decimatum
4. Possessorum judicium triplex.
5. Possessorum adipiscende judicium decimatum, tam in Parochio quam in aliis.
6. De possessorio retinenda & recuperanda.
7. De petitiorio judicio.
8. Adiutorio decimis in hoc judicio.
9. Viria que judiciorum accumulatio.
10. Iudicium de decimis summarium.
11. De judice decimatum quo ad possessorum & petitiorum; item & de aliis rebus virianisib. &c. n. 13.
12. Panormitanus distinctionis.

15. In decimis privilegio concessis quis judex.
16. Item quis in locatis decimis judex
17. Item quis in venditis decimatum fructibus.

P Ostremo hoc Cap. tractandum est de judicio decimatum, quod, quale & coram quo judice instituendum sit, illud initio presentantes, quod contra debitos decimatum nullo judicio opus sit, ubi res in confessio est; hoc est, debitor decimas se debere non negat, nec tergiversandi causam habet. Nam contra eos ab executione, sive præcepto judicis Ecclesiastici proceditur per censorum Ecclesiasticam, ut ex textus in c. Per venit 5, cum cap. seq. &c. Ex parte 21, cum cap. h. 1. De decimis. &c. cap. 2, De judicis in Clement. remota etiam appellatione, cap. 3, &c. cap. Tunc nobis

nobis 26, in fine h. t. eo quod constitutij juris regula sit, omnes ad decimatum functionem obligari, sicut *supr. cap. 4.* comprobavimus. Sed quia fortasse est contra rens exceptionem consuetudinis, aut prescriptionis, aut aliam, de quib. sup. proximo cap. dictum est, objicit, atque idcirco necessariò ad judicium decurritur, dispiciendum nobis hic est breviter, quid tunc factò opus sit in constituendo & persequendo hoc judicio.

<sup>2</sup> Utigitur in qualibet re, de qua contendit, sicut duplex iudicium institui, usum ratione possessionis, alterum ratione proprietatis, l. Ordinarii 13, C. De rei vindic. cap. ult. sup. De iudicis, cap. 1, & passim tototit sup. De causa possess. & propriet. Unde illud possessorum iudicium dicitur, alterum petitorum.

<sup>3</sup> Ita & in decimis praedialibus idem uso venit, ut vel ratione possessionis moveatur quæstio, vel ratione proprietatis, id est, juris, quo quis contendit ad decimas pertinere.

<sup>4</sup> Hoc autem possessorum iudicium tribus ex causis intentatur, aut ut adipiscamur possessionem, aut semel adeptam retinemus, aut amissam recuperemus, sequens *Instit.* De interdictis, & l. 2, § 5 hac autem interdictu D. eod tit. arg. l. Quoties 20, D. De servitutib. & l. fin. D. Vt posseditis. Quare primum adipiscendæ possessionis appellatur, alterum retinendæ, tertium recuperandæ. Intelligendo per possessionem hic quasi possessionem, quæ est rerum incorporalium. Nam quamvis rerum incorporalium nulla proprie sit posses (ut & alias montium) ramen usurpatum est, ut & harum rerum simpliciter possessio dicatur, c. Olim 17, *Derefit. Spoliat. l. 1, in fine V posside C. De servit. & aqua, cap. Ad aures 6, De prescript.*

<sup>5</sup> Itaque quoad decimas, possessorum adipiscendæ iudicium tunc intendantur, quando quis decimatum possessionem, quam aste non habuit, sibi acquirere contendit, quod facile est in Parocho loci, cuius ideo statim addicetur possessio decimatum, non auditio etiam jure alterius; ut pote quod jure communi ad eum, non ad alium pertincent decimæ, id est jus decimandi, c. 2, *Derefit. Spoliat. in 6, & latius dixi sup. cap. 8.* Ideoque Parochnus loci ad decimatum possessionem consequendam in suo libello complectetur, quod ejus loci, in quo colliguntur fructus, sit Parochnus, & idcirco perat sibi adiudicari possessionem decimatum. Rebuff. de Decimis q. 9, impr. Quod non est in aliis Clericis, sive laicis, qui pos-

sessionem decimatum non ante acquirunt, quam legitimum titulum probaverint; veluti in Clerico, quod decimandi ius habeat rex privilegio, præscriptione, vel simili titulo, de quo latius *sup. c. 9, & 10.* Item in laico, quodis vel privilegio. Pontificis ius decimandi assecutus sit, vel maiores sui ante Concilium Lateranense decimas in feudum receperint, & sic in se devolutæ sint. Nec enim laicus ullum alium titulum possessionis adipiscendæ obtendere potest, *vide c. 13, supra.*

In possessorio retinendæ narrat Parochus loci & vel alius Clericus, qui decimas possidet, se esse in possessione iuris percipiendi decimas, ac proinde se rogare, ut contra turbantem possessionem suam, vel recusantem decimas solvere, iudex se tuatur & manuteneat. Rebuff. d. quæst. 9, n. 3, & 4, *Menoch. derelinqua possess. remedio 3, n. 134.*

In possessione vero recuperandæ possessionis concludit, qui spoliatus est possessione decimandi, ut in possessionem pristinam, quam habuit, restituatur, d. c. 2, *Derefit. Spoliat. in 6, E.* Semper observato, quod Parochus loci, sive contra Clericum sive contra laicum agat ratione possessionis, statim sine mora admittendus sit, reiectione iure alterius in onus probationis.

Quod ad petitorum iudicium attinet, quod diximus versari circa proprietatem rei, eo tunc experimus, quando peritus per iudicem declarati, nos dominos esse huius vel alterius rei controversæ, si ea corporalis sit; si incorporalis, ius nobis competere, veluti in proprio arguento, decimandi ius ad se pertinere, formabitque libellum suum actor, si Parochus est, hoc vel simili modo: Cum Parochus sim talis loci N. peto per iudicem sententia iuâ declarari & adiudicari mihi decimas eiusdem loci, meumque adversarium condemnari ad solvendas præteritas decimas, & continuandam earum solutionem in posterum. Et hoc, quando contra possessores prædiorum agitur: si contra alium, qui est tantum in possessione iuris decimandi, petet Parochus declarari sibi competere ius decimandi & alteri silentium imponi.\* Sed quâ actione? Conditione ex canone, quo ius decimandi inductum est, ut toto sit. De decim aliisque locis citatis à nobis sup. cap. 1, Cum enim nulla actio pro decimis à jure Canonico prodita sit, recurrentum est ad conditionem ex canone, instar conditionis ex lege, l. unica d. De condit. ex lege. Quamvis

peccat

necessitate non sit, hanc condicione ex canone, hoc jure Canonico exprimi, sed sufficiat factum perspicue proponi in judicio, cap. Dilectus 6, sup. De judiciis.

Ubi vero alia persona Ecclesiastica praetendit jus decimandi, vel ex privilegio, vel ex consuetudine, vel præscriptione, sive alio titulo legitimo, necesse est, prius jus suum in judicium ducatur, & deinde perat declarari ad se spectare jus decimandi, siveque adversarium condemnari, ut à perceptione decimarum desistat, sive is Parochus loci sit, sive alias Clericus.

Potest & utrumque judicium, tam possessoriū quām petitorum, in eodem libello sive narratione, cumulari & proponi, prout visum fuerit auctori, per text. incap. 2, c. 3, & passim sup. *Decausa possessi & proprietatis*. Sed caveat Clericus, aut aliis quispiam, ne possessoriū judicium intendat contra Parochum loci; eo quod Parochus fundatam intentionem suam habeat ex jure communī contra quemlibet, ut & ante monimus.

11. Est autem judicium de decimis summarium, hoc est, in quo simpliciter & de plano ac sine strepitū & figura iudicij proceditur, c. 2, *De iudicij. in Clement.* Sola hac solemnitas adhibita, ut sententia definitiva in scriptis feratur, cap. Sepē *De verb. sign. in Clement.* Si tamen iudicij solemnitates omnes vel pro parte intervenierint, partibus non contradicentibus, non idcirco infirmabitur processus iudicij, d. c. *Sepē in fine.*

Sed consequenter h̄c videamus de iudice decimarii, in quanonnulla contentio est inter Doctores. Inter omnes quidem convenit, si de decimis petitorio iudicio agatur, adiri aportere iudicem Ecclesiasticum, ut in reliquis causis Ecclesiasticis, præserua spiritualibus, cap. 1, sup. *De iudicij.* At decimandus spiritualis est, ut probat text. inc. fin. *Derer. permisit.* &c. *Tua 25, imprinc. h. sis. de decimis.*

Tota vero controversia est quoad possessoriū de decimis iudicium, coram quo iudice exercendum sit. De qua re discrepantes Doctorum sententias vide apud Panorm. inc. 1, num. 6, *De iuram. calumnia,* & Did. Covarr. Præt. quād. c. 35, qui generaliter disputant de possessione rei spiritualis, an ea temporalis sit; & consequenter ad notionem iudicis secularis pertineat. In specie vero de possessione decimarum disputat Petr. Rebuff. *de Decimis* qu. 10, & Azorius *Institut.* Ad-

ral. p. 1, lib. 7, c. 25, Sed breviter nos formitem complectamur.

Igitur primò omnium à nobis constituendum est, possessionem rei planè separatam esse ab ejus proprietate, per text. in l. *Naturaliter* 12, §. 1, D. De acq. possessi. ubi his verbis textus, *Nihil commune habet proprietatem possessione,* & ideo non denegatur interdictum *Vt possidetis,* qui ceperit rem vindicare. Idem probat textus inc. *Pastoralis* 5, sup. *De casis poss. & propriet.* Unde cùm prorsus sit diversa ratio possessionis à proprietate, non idem igitur iudicium semper in utraque spectandum est, etiam quod attingat ad spiritualia. Ut ecce, de matrimonio recte cognoscit iudex secularis, si illud adulterio violatum sit. Item recte restituit conjugem, si is ab altero discesserit. Item compellit conuges ad præstandam mutua obsequia: quia h̄c in facto consistunt & possessionem magis matrimoniale, quām sive proprietatem matrimonii concernunt. At si matrimonium negetur, aut obtendatur illegitimè contractum esse: hujus rei cognitio, cum proprietatis causam contineat, non adjudicem secularē, sed ad Ecclesiasticum deferenda est, quamvis & de possessionis causa etiam possit adiri iudex Ecclesiasticus. Videlicet enim pro observatione juramentū iudicem secularē recte adiri, etiam si juramentū spiritualiter sit, ut ost. text. inc. 2, *De iurejur. in 6,* quia & hac res possessionem magis respicit quām proprietatem, licet & coram iudice Ecclesiastico de ea agi possit, cap. ult. *de foro competet.* et lib. & tamen, ubi in juramento proprietatis causa veritatur, puta, an legitimū sit juramentū, an illegitimū, obligatorium vel non obligatorium, solius iudicis Ecclesiastici cognitio est, cap. Nov. 13, circa fin. sup. *De iudicij.*

Quare idem est & in decimis: nam si Parochus loci agat interdictum ad ipsendū, vel recuperandā possessionis contra laicum, recte adiri & iudicem secularē: si neget laicus se jure debet decimas, propter consuetudinem loci, aut præscriptionem, vel alia ex causa, hujus cognitio ad iudicem Ecclesiasticum referenda est, quod hoc scilicet specie de jure proprietatis agatur, per ea, quæ tradunt Panorm. ind. cap. 2, n. 8, Bartolus in l. *Tatia 19, D. Soluto matrim.* & Covarr. d. cap. 35, in secunda conclus.

Quamvis ipse Covarr. ibidem ab hac sententia dissentiat, ex illa, ut existimat, juris positivis

fici regula, quæ dicitur, causas Ecclesiasticas tra-  
ctandas & examinandas esse apud Judices Eccle-  
siasticos, e. 2 sup De judicis. Constat vero, addit,  
causam possessoriæ etiam simplicem, in-  
stinctiæ deci Ecclesiasticam, cap. un. De causæ poss. & pro-  
priet. in Clement. & in cap. un. De sequitur, poss. & fruct. in Clement.

Quæ tamen jura judicio meo non probant di-  
ctam juris Pontificii regulam. Sed proprius ad c-  
jus confirmationem accedere videtur cap. Causam  
7. sup. De præscr. ubi negat textus decimas detineri  
posse à laico, non alia ratione, quam quod jus de-  
cimandi spirituale sit; ergo & detentio sive pos-  
sessio eorum spirituale videtur. Interim idem ipse  
Covarr. d. 35 numer. 2. prædictæ juris Pontificii  
regula, ut ipse vocat, non ita placet iustitiae, quin  
censeat posse Judicem secularem compellere lai-  
cum recusantem decimaru[m] solutionem, cum  
tantum agatur, inquit, in decima sive solute, vel  
teneatur ille solvere, vel alius, non autem de jure  
decimaru[m], nec de exemptione aut privilegio.  
Ecce Covarr. re ipsa incedit in priorem sententiā.

Quæ ut explicatior sit, subjiciam hic distinc-  
tionem Panormit. in d. cap. 1. De iuris calum. ubi  
cum generaliter de possessione rei spirituale dis-  
putationem institueret, variaque doctorum sen-  
tentias recitasset, tandem distinctione quadam  
ita dissidentes inter se conciliat. Aut enim que-  
ritur, inquit, de re merè spirituali, aut quasi spi-  
rituali, aut de re merè temporali. De re merè spi-  
rituali, quando de re spirituali disceptatio est; ve-  
luti, an matrimoniu[m] vel collatio beneficij Eccle-  
siastici valeat; vel a quis jure teneatur ad sol-  
vendas decimas, & similia, quæ ad Judicem  
secularem non pertinent, ne quidem  
incidenter, cap. Tuam supra De ordine cognit.  
cap. Lator. inf. Qui filii sint legitimi. cum similib  
principiū textus est in cap. 2 sup. De iudicis. De quasi  
spirituali, quando agitur possessorio, habente  
causam proprietatis annexam, utpote quia in eo  
aliqua probatio proprietatis requiratur, ut inju-  
re paronatus, cap. 3 eod ist. De iudicis. vel si agatur  
ad restitutionem coniugis, quæ post spousa[rum]  
contracta cognita fuit, cap. Extransmissa 8. cap. Ex-  
parte 14. Derasit spoliat. His duobus & similibus  
casibus Judex Ecclesiasticus necessariò aditur;  
quod matrimonii ius etiam in questione veniat.  
De merè temporali contenditur, quando res  
nihil spirituale in se continet, neque annexum ha-  
bet; velut in cùm de eo quod merè facti est quozzi-  
tur. Exempli gratiâ, si Clericus agat contra lai-

cum retinendæ possessionis sua Ecclesiæ, nam  
hoc casu rectè recurrit Clericus ad Judicem se-  
cularem, ut is laicum cohibeat à turbatione Ec-  
clesiæ. Et sic in cæteris, ubi facti, non iuri, quæ-  
stio vertitur.

Non obstat textus in d. cap. Causam De prescript. 16  
Tamen enim res spiritualis possideri non possit à  
laico, non tamen ideo consequens est, possessio-  
nem rei spiritualis esse spiritualem; si quidem pos-  
sessionem decimarum ex effectu suo metimus,  
quest, ut aliquod commodum ex ea capiat; s  
quod cum in laicum regulariter non cadit, idcir-  
co rectè dicimus, laicum decimas possidere non  
posse, licet alioquin possessio per se spectata non  
sit spiritualis. Sicut è diverso videmus in iure pa-  
tronatus, quod est per laicum possideri possit,  
non tamen ideo merè temporale est, cum eius  
cognitio ad Judicem Ecclesiasticum pertineat, e.  
3. De iudicis. Itaque ut rem summatum complectat,  
quod attrinet ad præsens argumentum de Judice  
decimarum; si de sola earum possessione sive ac-  
quirenda, sive retinenda, sive recuperanda agatur  
contra laicum, non minus laicus Judex quam Ec-  
clesiasticus aditur; cum hæc res sit utriusque fori,  
arg. e. 2. De iuris calum. in 6. & c. fin. Deforo compet. eod. lib.  
Si de ipso iure decimandi, ad solum Ecclesiasti-  
cum Judicem causa referatur, d. cap. 2. De iudicis. Di-  
xi, contra laicum; nam si contra Clericum, sem-  
per & in quavis causa cognoscit tantummodo Ju-  
dex Ecclesiasticus, & Si diligenter 1. Deforo compet. &  
Auth. Statutus C. De Episcopis & Clericis.

Illud quæ situm fuit, si ex privilegio S. Pontifi-  
cis ius decimandi laico concessum sit, uter Ju-  
dex, laicus vel Ecclesiasticus, adiri debeat? Sic  
magis est, quod Judex laicus, ex sententia Petri  
Rebuffi de Decim. c. 10. numer. 29. & Covarr. Præd.  
quaest. cap. 35. num. 2. vers. 3. Et ratio est, quia censem-  
tur in dubio eiusmodi ius decimandi naturam spi-  
ritualitatis, auctoritate Ecclesiæ sive S. Pontifi-  
cis, exisse, & quo hoc ius decimandi tamquam  
spirituale introductum fuit.

Idem est & in conductore decimarum, ut hic 18  
quoque ratione mercedis rectè conveniatur co-  
ram Judice seculari. Covarr. d. num. 2. vers. Quin-  
tus. Quia hoc in casu non de iure decimandi agi-  
tur, cuius ne quidem possessio in conductorem  
transfit, l. 1. C. De prescript. 10. vel 40. annor. I. Quam-  
vis; 2. §. 1. D. De iudicis. Vel auctor possit. & l. Officium 9.  
D. De rei vind. sed tantummodo actione locati,  
propter commoditatem fructuum à conductore  
perceptorum, e. 2. sup. De locato & conductore.

Na

Idem

17 Idem servandum est in venditis fructibus decimorum; ut & in his laicus Judex a deo sit, siemper laicus sit, ob eamdem rationem. Atque haec hactenus de decimis. Nunc de primis & obla-

tionibus, quæ & inscriptione ejusdem sit. Decretum  
calendum decimis continentur, breviter dispi-  
ciamus, ut ita tractatus noster plenior sit & per-  
fector.

CAPUT XIX.

## De Primitiis. & Oblationibus.

## S U M M A R I A.

1. *Primitia quid, in quem usum & quo iure instituta.*
  2. *& 3. An iuris divini vel naturalis sint.*
  3. *Vi primitiae iuris naturalis sunt, cum explicatione l.*  
Si et si 2 8 §. consuluit D. De petit. hered.
  4. *Religio erga Deum ut naturalis iuris est.*
  5. *De quantitate primitiarum.*
  6. *& 8. De oblationibus in genere & specie.*
  7. *Præceptum veteris testamenti de oblationibus à Gre-*  
*gerio Pont repetitum an hys.*
  8. *Differentia primitiarum, oblationum & decimalium.*

**P**rimitez sunt prima frugum obuentio sive  
ejus pars Domino offerenda, in usum sacer-  
dotum, i. De decimis, quæ & in veteri Testa-  
mento non minus quam decima solvabantur,  
*Exod. 22.* Decimas tuas & primizias tuas non tardabis  
reddere: & eod. lib. cap. 23. Primizias frugum terrena  
deferes in domum Domini Deitui. Et Malachia ter-  
tio capit. conqueritur Deus de Iudeis de non so-  
luti decimis & primizies. Institutæ vero erant, ut  
populus primizias offerendo gratias ageret de be-  
neficiis a Deo receperis. D. Thom. in z. 1 quæst. 86.  
art. 4 in respons. Has & Sacri Canones postea pro-  
barunt, & secutis sunt in can. Moderatius, in can. Do-  
bos & in can. Revertimini xvi quæst. 1. gregorius VII.  
in Conc. Lateranensi: Oportet autem congruentius, in-  
quit, nos decimas & primizias, quas jure sacerdotum esse  
sancimus, ab omni populo accipere. Referr. Gratianus in  
can. 1. xvi. quæst. 7. Quo sit, ut primiziae in Eccle-  
siarum bonis numerentur, c. Causa 13. inf. De verb.  
signis.

<sup>2</sup> Sed questionis est, An primitiae juris divini sunt? Dejure veteris Testamenti non ambiguntur, ut probant supradicta loca Neque obstat alius locus Exodi 25. cap. Loquere filio Israhel, ut tollant mihi primitias, ab omni homine, qui offert ultraenous, accipietus es. quasi primitiae non pracepti, sed arbitriarier fuerint. Sed respondeatur, primitiarum nomine ibi accipiea, quæ populus offerebat ad tabernaculi fabricam & ornatum. Azorius Inst. Moral. p. 1.

*lib 7 c 27. Ut cumque id sit, certum est hoc preceptum veteris Testamenti, ut & catera precepta, per Christi mortem abolitum esse, ut probavimus supra cap. 3.*

Nihilominus putat Pet. Rebiffus in tr. de Deci-  
mis quas i. no. 21. canum seq. primitias adhuc ho-  
die esse divini juris, seu potius, ut mentem ejus  
interpretor, juris naturalis, quia illa in compen-  
sationem sive indicium praestans beneficiorum  
à Deo receptorum. At naturale jus dictat se gra-  
tum præbere oportere ei, à quo beneficium acce-  
peris. Quod & existimat Dominicus Soto lib. 9 de  
Inst quasf. 3. art. 4. D. Thom. verd. 2.2 quasf. 8.6. art.  
4 ut cum allegari & sequitur Azor. d. c. 27 vers. 5. qua-  
ritur, primitias partim naturalis juris esse vult,  
partim juris Canonici. Quemadmodum enim, art.  
decima iure naturali debetur & solvuntur, quandocunque  
necessaria est ad commoda Parechi viatum, vel au-  
prosuddenum supremum Dei in res omnes dominatum & im-  
perium; focus verò non naturali, sed Pontificio jure debet  
solvit (ut & suprà d. c. 3. explicavimus); sic etiam pri-  
mitie, quatenus sunt ad ius sacram & honorem, ad  
cultum divinum, naturali iure solvuntur; secus verò iure  
ratiuum Pontificio. Hæc Azorius d. cap 27. Idem  
Gregorius de Valentia Comment. Theo.og. tom. 3.  
diff. 6. quest. 6. punto 4. in fine, sed paulò aliter, cu-  
jus hæc verba sunt: Primitias non ex aliquo naturali  
aut divino precepto, hoc quidem tempore offerri debent  
(cum his praecipue satisfiat sustentando quocumque modo  
sufficientem ministros, & offrendo qualescumque alias res  
externas in honorem Dei); sed ex decreto Ecclesiæ, iuxta re-  
ceptam locorum consuetudinem & necessitatem ministro-  
rum Ecclesiæ. Citat ibidem & Sylvesterum V. Decime  
um 3. ubi referre eum afferentem, possit tolli obli-  
gationem solvendi primitias per contrarium con-  
cedutissem, eo modo, quo potest alii cubi tolli per  
contrarium consuetudinem obligatio solvendi  
ecimas.

Quæ eris vera concedamus, non tamen tollunt  
rationem illam, quæ primitiae institutæ dicuntur;  
videlicet ut primicias offerendo Deo gratias redi-  
cantur, quod iuri naturali convenire videatur, ut  
supradictum